OLEA SIMPLICIA
PER
INFUSIONEM
VEL
DECOCTIONEM.

OLEUM ROSACEUM.

℞ Rosarum rubrarum immaturarum, exungulatarum, & pistillo ligneo in Mortario lapideo contusarum, uncias quatuor.

Olei Olivarum sæpe loti libram unam. Soli ardenti expone, in vase Vitreo arctè clauso, per integram septimanam & concute quotidie: dein leniter coque in Balneo & exprime; Rosisque abjectis recentes injice, quibus similiter habitis, fiat idem tertiò, productâ ad quadraginta dies ultimâ insolatione; quâ peractâ, servetur Oleum cum Rosis sine expressione.

Eodem modo fiunt

OLEUM ABSINTHITES, ex comarum ter repetitarum Absinthii vulgaris unciis quatuor, & Olei maturi libris tribus; sic tamen, ut ultimâ vice addantur unciæ quatuor succi Absinthii, qui lentâ coctione evaporandus est.

OLEUM ANETHINUM, ex Olei librâ unâ; florum & frondium Anethi unciis quatuor ter renovatis.

OLEUM de CASTOREO, ex Castorei unciâ unâ, Olei librâ unâ, & Vini generosi unciis duabus. Castoreum pulveratum Vino biduum infundatur: dein addatur Oleum, & coque ad Vini absumptionem; fiatque Colatura.

OLEUM CHAMÆMELINUM ex Oleo & Chamæmeli floribus (demptis albis foliolis) recentibus, concisis, tusis, tectóque simplici linteo vase, insolatis, & expressis; & ter

demum (ut in præcedentibus) redintegratâ operâ.

OLEUM CHEIRINUM, ſive Keirinum, ex floribus Keiri. i.e. Leucoii lutei, & oleo; ut Oleum Anethinum.

OLEUM EUPHORBII, ex Euphorbii drachmis ſex, Olei Cheirini, unciis quinque, & Vini odoriferi, unciis tribus, ſimul coquendis in duplici vaſe, donec Vinum evanuerit.

OLEUM ſive BALSAMUM SIMPLEX HYPERICI, ex Oleo ſui ſeminis, truſatili molâ triti, & prelo expreſſi; additis, & ritè inſolatis, Hyperici floribus.

OLEUM LILIORUM, fit eodem modo, quo Oleum Roſaceum.

OLEUM LUMBRICORUM.

℞ Lumbricorum terreſtrium, libram dimidiam.

Laventur primùm aquâ ſæpius mutatâ, dein Vino albo, in quo etiam macerentur per horam. Tum abjecto Vino, Lumbrici duplici vaſe excipiantur affundendo Olei libras duas,

Vini albi libram dimidiam.

Mox coquantur ad Vini evaporationem. Tandem Oleum per telam cannabinam trajectum uſui reponatur.

OLEUM MAJORANÆ, Fit ex herbæ parùm contuſæ unciis quatuor.

Vini albi generoſi unciis ſex.

Olei librâ unâ.

Simul mixtis, inſolatis, recentique ter immiſsâ & expreſsâ herbâ; & coctione demum in diplomate, abſumpto Vino.

OLEUM NARDINUM, ex Spicæ Nardi unciis tribus, Olei dulcis ſeſquilibrâ, Vini albi odorati & aquæ puræ, ana unciis duabus cum ſemiſſe, coctis in diplomate igne leni, frequenter movendo, ad humoris aquei abſumptionem.

OLEUM NICOTIANÆ, ex ſucci Nicotianæ & Olei communis, ana partibus æqualibus, in Balneo ſ. a. coctis.

OLEUM PAPAVERIS, ex floribus, capitibus, & foliis Papaveris ſativi, & Oleo Olivarum, ut Anethinum.

OLEUM RUTACEUM, ex herbâ contusâ, & Oleo maturo, ut Roſatum.

OLEUM SABINÆ, ſimiliter.

OLEUM SAMBUCINUM, ex floribus & Oleo, ut Roſatum.